



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

1 Infidelis vxore conuersa aliam ducens, si postea ipse conuertatur, ad priorem nondum alteri nuptam, redire tenetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

scopo, ut ea, quæ uouit, adimpleat, compelli potest, ut ait Pan. in d. c. ad Apostolicam, & in c. significauit. ut. eo. Non solum ea ratione, quod de substantia professionis mariti non sit professio uxoris, sed consensus ipsius cum uoto continentia, si non sit de fornicatione suspecta, & cum uoto religionis, si suspecta sit: ex c. cum uxoratus & c. ad Apostolicam, & c. significauit, de conuer. coniug. sed etiã illa alia, quod coniuge adulterante coniux innocens ab omni seruitute, quam illi debet, ratione coniugij, liberatur. c. Agathosa. 27. q. 2. ita ut licitè sacros ordines suscipere, aut religionè profiteri, sine ulla iudicis sententia, maximè si adulterum manifestum sit, tuta cõscientia possit. c. significasti, de diuorij, & Nau. in Man. c. 22. nu. 21.

DECISIO VI.
Ex cons. 11. alias 2.

Duens concubinam, quæ post consummatum matri monium ad suum concubinarium rediit, ob quam causam maritus in partes longinquas recedens tacito matrimonio religionem proficitur, & sacris ordinibus etiam presbyteratus insignitur, & Missas celebrat, quamuis male ordines suscipiendo in irregularitate ob Bigamiam incurfa, a solo Papa dispensabili, & in eadem etiam irregularitate celebrando, peccet. c. Acutius, & c. deinde d. 26. & c. 1. de bigam. omnique privilegio clericali careat, c. 1. de big. in 6. factaque professio ob adulterium uxoris tenet. c. Agathosa. 27. q. 2. Nouam tamen irregularitatem celebrando in irregularitate non contrahit, ex Inno. in c. si celebrat. de cler. ex com. ministr. & Nau. in Man. c. 27. num. 194. & post dispensationem super irregularitate Bigamiae, & mala ordinum assumptione, & executione licitè celebrare potest, quamuis aliqui exinde scandalizent, cum scandalum solum actuum, & non passiuū attendendum sit ex S. Th. 2. 2. q. 43. ar. 7. & 8.

DECISIO VII.

Ex cons. 10. in Nouis, deest in antiquis.

Cum per adulterium notorium uxoris ipso iure absq; scientia separationis solum sit matrimonij quoad thorum, & cohabitationè, adeo ut ipsa adultera restitutionem uiri petere nõ possit, c. Significasti, de diuor. consequenter maritus, inuita uxore religionem ingredi, & ordines sacros suscipere ualet, ex Gl. in cap. Agathosa, verb. conuersionis, 27. q. 2. cum quoad hunc effectū ordo sacer. & monachus parificentur, c. coniugatus, & c. cum sis, de conuer. coniug.

DECISIO VIII.

Ex cons. 13. in Nouis, deest in antiquis.

Conugatus de licetia uxoris suæ nondum carnaliter cognita, aut etiam cognita in illè ordinari poterit; Arg. c. qui uxorè, 33. q. 5. etiã si uxor monasterium non ingrediatur, dummodo uoueat continentiam, c. coniugatus, de conuerf. coniug. & etiã si uxor continentiam nõ uoueat, modo sit senex, uel alias extra susceptionem incontinentiæ ut tamen religionem profiteatur, consensus uxoris nõ sufficit etiam uotum continentia emitentis, nisi ipsa etiam religionem ingrediatur, c. 1. & c. cum sis, de conuerf. coniug. quando quidem monachismus plus separat, quam sacerdotium, unde etiam quoad uinculum tollit matrimonium ratum, sed non consummatum, quod nõ facit sacerdotium, c. ex publico. de conuer. coniug. & Extrauag. 1. de uoto, Ioan. 22. & quia sacerdos melius potest prouidere uxori remanenti in seculo, ne fornicetur, quam monachus inclusus.

TITVLVS XXVI.

De conuersione infidelium.

SVMMA RIVM.

1 Infidelis uxore conuersa aliam ducens, si postea ipse con-

uertatur, ad priorem nondum alteri nuptam, redire tenetur.

- 2 Infidelis conuersus, antequam aliam ducat, uxorem infidelem monere debet.
- 3 Infidelium coniugum alter conuersus, aliam ducere potest, seruatis tamen requisitis.
- 4 Iudeorum infantes apud parentes educari debent.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 3.

Infidelis habens uxorem, quæ ad fidem conuersa, innupta manet secundam ducere non potest, & si de facto secundam ducat, & ex ea liberos generat, & cum ea ipse quoque postea ad fidem conuertatur, uiuente adhuc priore innupta sicut ad priorem nondum nuptam, si ipsa uelit redire, tenetur, ita etiam ipsa consentiente, cum Papæ dispensatione, cum secunda licite remanere potest. Quia cũ inseparabilitas matrimonij de lege nature sit ex S. Th. quarto, dist. 33. quæst. 2. art. 1. quam nature legem neque conuersio ad fidem, neque baptismus tollunt, sed perficiunt, ex eodem S. Thom. quarta, dist. 39. quæst. 2. artic. 3. & contra legem nature sit ut quis eodem tempore duas uxores habeat, c. gaudemus, de diuor. & S. Thom. 4. dist. 33. quæst. 1. consequenter uiuente prima uxore, & innupta manente, infidelis maritus secundam ualde sine dispensatione ducere nequit, & si ducat matrimonij non ualet. Quamuis enim coniux conuersa, nolente cõiuge marito se conuertere, post pertinaciam eius alteri fidelis licite nubere possit, c. si infidelis, 28. q. 1. & c. quanto, & c. gaudemus, de diuor. prius tamen matrimonium nec per conuersionem aut baptismum, nec per coniugis infidelis pertinaciam, donec alteri realiter nubat, soluitur: Gl. in ca. gaudemus, de diuor. et Sanct. Thom. 4. dist. 39. quæst. 1. artic. 1. 2. et 3. Quod matrimonium secundum quia sacramentum est, prius matrimonium quod sacramentum non fuit, sed tantum contractus indissolubilis, & nondum ratum, uel ait S. Th. in dicto artic. 5. uer. sed contra. dissoluit. Cum ergo Papa ex iusta causa super matrimonio a fidelibus contracto rato, nondum consummato dispensare queat, ut hi qui contraxerunt, cum aliis cõtrahere possint; Gloss. in cap. ex publico, de conuerf. coniug. et Nauar. in Manual. capitul. 22. numer. uigesimo primo, a fortiori super matrimonio inter dictos infideles legitime contracto, quod non fuit ratum, eo quod non erat sacramentum, sed solum contractus putus habens inseparabilitatem naturalem, sola lege nature, inductam, et nuda a significatione sacramentalis, iusta ex causa dispensare potest, et prouide efficere potest ut accedente consensu prioris uxoris conuersæ innuptæ manentis (cuius consensus causa iusta est dispensandi) uir eius, qui ad huc infidelis cum alia infideli postea contraxit, cum eadem conuersus ad fidem remaneat.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 1.

Infidelis constante matrimonio legitimo cum prima, aliam ducens uxorem, cum qua postea ad fidem conuersus sacrum baptismum cum illa suscepit, prima uxore legitima in infidelitatis errore permanente, primam illam legitimam prius monere, expectare, & uoluntatem eius explorare tenetur num ad fidem conuerti, & baptizati, & cum eo cohabitare uelit, quam cum secunda illa ad fidem simul cum ipso conuersa, & baptizata matrimonium legitimum contrahere possit; Quia cum prius matrimonium per solam conuersionem ad fidem non sit dissolutum, nec per infidelis obstinationem, ante secutum matrimonium legitime contractum, & si conuersus non teneatur conuicere coniugi non conuersæ, si noluit; nouum tamen matrimonium contrahere, aut uotum continentia emitte non potest, nisi prius aliqua honesta rogatione, & monitione, aut alia probatione sufficienti de obstinatione prioris appareat noluisse.

G 2 lefe